

anima cunctorum viventium pro cuiusque nascentis sorte sumantur, nihil omnino remanere potest, quod non sit pars DEi. Quod si ita est, quis non videat, quanta impietas & irreligiositas consequatur: ut quod calcaverit quisque, partem DEi calcet: & in omni animante occidendo, pars dei trucidetur? Nolo omnia dicere, quae possunt occurrere cogitantibus: dici autem sine verecundia non possunt. Quibus Cap. 13. addit: De ipso rationali animante, id est, homine, quid infelicius credi potest, quam DEi partem vapulare cum puer vapular? Nam verò partes dei fieri lascivas, iniquas, impias atque omnino damnabiles, quis ferre posset, nisi qui prorsus insaniat? Hæc enim, si quæpiam, sententia Atheismum inducere aptissima est, DEum, ut paucis dicam, faciens non - DEum. Conf. WITTICHII Exercit. Theol. I. de DEo Mund. Rect. §. 41.

§. XII.

Non equidem Adversariis deesse videntur, quæ tam pro suâ sententiâ tuenda urgeant, quam objicant contra nostram; haud tamen in ea omnia inquirere, propositum nobis nunc est, ab abusu tantum Philosophiæ veram doctrinam nostram hac vice vindicaturis. Deprehendimus nimirum, adduci heic solere Regulam: *Ex nihilo nihil fit*; ex qua jam olim Philosophos, vel ipsius mundi, vel saltem materiæ illius æternitatem afferentes, argumentatos fuisse, apud EUSEBIUM Præparat. Evang. Lib. I. cap. 8. videre est, juxta quem Xenophanes Colophonius ita ratiocinatus: *Si detur, universum hoc procreatum esse, continuo sequunturum, uti prius non fuerit; id autem, quod non est, neque fieri, neque aliud efficere, neque rursus ex eo fieri quicquam posse.* Epicurus contendit, ex eo, quod non sit, oriri nihil. Metrodorus Chius, sempiternum esse hoc universum, affirmavit, propterea quod si genitum illud esset, ex eo, quod nusquam est, genitum fuisset. Hanc quoque Regulam SPINOZAM Part. I. Eth. Defin. VI. quâ DEum dicit substantiam esse constantem infinitis attributis, quorum unumquodque eternam & infinitam essentiam exprimit; respexit, rectissime judicat WITTICHIUS Anti-Spinoz. s. Exam. Eth. Ben. de Spin. Part. I. Def. VI. p. 22. de eo scribens:

Videtur